

SURGET SPIRITUALE, instar spiritus, nec cibo nec potu indigens, subtile, leve, penetrabile; spiritui omnino subditum et conformatum.

## COLLIGENDA.

Hinc saneti Patres colligunt quatuor corporis gloriosi dotes, impassibilitatem, claritatem, agilitatem et subtilitatem. Hinc etiam inferunt quod corpora nostra nec specie, nec numero different à semetipsis, sed tantum in qualitatibus. Ex corruptibilibus fient incorruptibilia, ex difformibus et abjectis clara et splendida; ex gravibus et crassis et vix se movere valentibus, agilia; ex animalibus, subtilia et spiritualia. Porrò spiritualia erunt, non spiritus; sicut nunc animalia sunt, non anima, ait sanctus Anselmus. Idem dixit D. Thomas contra hereticos, opinantes quòd caro nostra in spiritu convertetur. Sicut nunc corpus nostrum est animale, non anima, sic et tunc erit spirituale, non spiritus, D. Thomas.

SI EST CORPUS ANIMALE.....; in Græco non est si, nec in Syriaco. Explicat Apostolus quòd dixit, *corpus spirituale*, quasi diceret: Ne miremini quòd *corpus spirituale* dixerim, etenim sicut est animale corpus, ita et corpus est spirituale: unum quòd habemus à primo parente nostro secundum carnem; alterum quòd habemus à nostro secundum spiritum parente, Christo Jesu, Domino nostro. *Corpus animale* vocat corpus obnoxium indigentie animalium, scilicet cibi et potus et actionibus animalibus implicitum. *Corpus spirituale* vocat corpus spiritui perfectè subditum et ab indigentis animalium independens, seu, ut bene et paucis Ambrosius: Animale corpus est dum cibis sustentatur, ut vivat; spirituale autem cum horum nihil indiget, conversum in vitam.

Probat igitur quòd asseruit: *Surgit spirituale*; seu quòd in resurrectione spirituales erimus; et id paritate probat: sicut nunc animales sumus, quia primus parens noster secundum carnem animalis fuit, ita in resurrectione spirituales erimus, quia Christus, noster secundum spiritum parens, fuit in sua resurrectione spiritualis. Quòd primus noster pater fuerit animalis, probat ex Scripturis.

VERB. 45. — Sicut scriptum est, id est, de primo scriptum est Genes. 2, 7: FACTUS EST PRIMUS HOMO, ADAM, IN ANIMA VIVENTEM, id est, anima vivens, vel animal vivens, seu habitum animam viventem, et que suo corpori vitam tribueret vegetati-

cibo et potu non eget, non labore, non fatigetur, sed quasi celeste sit, et dedicatum, atque, ut Tertullianus ait, quasi in angelicum habitum sit commutatum. *Spirituale*, id est, subtile; ut instar spiritus omnia alia corpora penetret et pervadat. Ita Damasc., l. 4 de Fide, cap. 28.

Si est corpus animale, est et spirituale; nam utraque hæc differentia corporis reperitur atque existit. Sicut scriptum est, id est, sicut innuit Scriptura, Genes. 2.

VERB. 45. — Factus est primus homo Adam in anima viventem, hoc est, Adam factus est anima, id est, animal vivens vitâ sensitivâ et vegetativâ; ac prout

viam, que ad sui conservationem indigeret alimentis, sicut indigent animalia. De animalibus etiam scriptum est Genes. 1, 24: *Producat terra animam viventem*. Talis fuit Adæ vita, animalium indigentis subdita, et aliam nobis dare non potuit; hinc animales sumus.

NOVISSIMUS ADAM, id est, Christus Dominus. Christus dicitur Adam, quia sicut ex Adamo secundum carnem nascuntur omnes, ita ex Christo secundum spiritum renascuntur omnes. Dicitur *novissimus Adam*, quia post eum nemo succedet, qui sit caput et auctor fidelium. Dicitur etiam secundus, quia inter Adamum et Christum non fuit medius, qui sit hominum caput et principium.

IN SPIRITU VIVIFICANTEM, id est, Christus Dominus in sua resurrectione factus est spiritus, carnem suam ita vivificans, ut animalium indigentis non sit amplius subdita. Seu anima gloriosa Christi tunc facta est spiritus carnem suam spiritualiter vivificans, id est, vitam ei tribuens immortalem, impassibilem, claram, agilem; vitam ab omnibus animalium indigentis independentem, et talem qualem habent spiritus. Equidem sancti Patres Græci per spiritum vivificantem intelligunt Spiritum sanctum, Christo substantialiter unitum, per quem et propriam carnem vivificat, et nobis per ipsum incorruptibilitatem donavit, ut ait Theophylactus post divum Chrysostomum. Sed prior explicatio, que plerumque Latinorum est, accuratior videtur, et apostolico textui conformior. Etenim, juxta divi Pauli mentem, sicut in versus præcedenti opponitur *corpus animale* et *corpus spirituale*, ita hic opponuntur, fieri in *anima vivente*, et fieri in *spiritu vivificante*. Sicut ergo corpus animale ab Apostolo dicitur corpus, quòd ad sui conservationem indiget alimento, velut animalium corpora; corpus verò spirituale vocat illud cui spiritus ita dominatur, ut solus ei sufficiat ad perpetuam vitam, et ad omnem actionem, ita per *animam viventem*, à qua corpus animale dicitur, intelligit animam humanam, quatenus animat et vegetat; quæ vegetatio fit per nutritionem. Et per *spiritum vivificantem* intelligit ipsam animam humanam, quatenus per se valet et sufficit ad conservandum, movendum et regendum corpus suum, independentem ab omni alimento.

Adamas itaque factus est in anima viventem, id est, habuit animam, quæ corpori suo vitam tribuit per vegetationem; hinc corpus habuit animale, et hoc cor-

cibo, potu, aliisque fomentis alendum, et in animali hæc vitâ conservandum.

Novissimus Adam, id est, Christus, factus est in *spiritu vivificante*; ut scilicet haberet post resurrectionem animam gloriosam, quæ instar vivifici spiritus corpus planè vivificaret, illudque redderet spirituale, id est, instar spiritus gloriosum, cui experis, impassibile et immortale: corpus, inquam, tum suum, tum nostrum. Unde Theophyl., Chrysost., Theod., notant non dici *spiritum viventem*, sed *spiritum vivificantem*. Anima enim sive spiritus Christi, non tantum vivit gloriosè in se, sed etiam vivificat, et eadem vitâ gloriosâ donat tam animas quam corpora nostra.

pus nobis, suis secundum carnem filius, tribuit. Christus autem Dominus, qui in suo quidem conceptu, corpus recepit animale; factus enim fuit etiam in *anima vivente*, sicut Adamus, ex quo secundum carnem natus est. In sua resurrectione factus est in *spiritu vivificante*; tunc illius anima gloriosa carnem suam incepit spiritualiter vivificare, vitam ei tribuens impassibilem, etc. Et hæc carnis spiritualitatem, seu hæc vitam immortalem, impassibilem, ab animalium indigentis independentem, corporibus nostris imperietur in nostrâ resurrectione. Tunc Christus suam et nostram carnem vivificabit, corpus nostrum, sicut et illius, erit spirituale, impassibile, clarum, agile, subtile. Sicut nunc ab Adamo corpus habemus animale, ita tunc à Christo et à Christi meritis habebimus corpus spirituale; nosipsi spiritum habebimus nostra corpora vivificantem.

## In eandem v. 43 animadversio.

Communione expouit explanationem, et quam primò secutus sum: unum tamen in eâ mihi semper displicuit, scilicet quòd de unaquaque animâ beatâ die possit quòd soli Deo Scriptura tribuit, *spiritus vivificans*. Hinc re attentius examinâtâ, simpliciorum, ac D. Pauli et sanctorum Scripturarum stylo, imò et antiquorum Patrum, interpretationi conformiorem, puto hæc, que sequitur, interpretationem:

Factus est primus homo Adam in anima vivente. Duo in his verbis animadverto: primum, quòd Adamus per suam animam vivit ipse, et quidem solus; secundum, quòd vixit vitâ animalium, indigentis obnoxia. Factus est in *anima vivente*, id est, animal vivens, seu habitum animam, quæ suo proprio corpori vitam tribueret; at vitam, que ad sui conservationem, alimentis indigebat sicut, aliorum animalium vita.

Novissimus Adam in spiritu vivificante. Duo pariter in his verbis contenta reperio, et quidem duobus superioribus opposita: primum, in sua resurrectione Christus spirituali vitâ vivit, non animalium, sicut Adamus; secundum, Christus vivit, non ipse solus, sed et alios vivificat, non item Adamus. Factus est in *spiritu*, seu quasi spiritus, vitâ vivens spiritali, immortalis, impassibilis, etc. Factus est in *spiritu vivificante*, seu in *spiritu*, quo non tantum vivit ipse, sed quo vivificet spiritualiter alios, seu quo vitam aliis tribuit spiritualem, immortalem, æternam. Potestatem habet alios vivificandi; reverà tunc multos eorum spiritualiter vivificavit, sanctos omnes in fine mundi vivificaturus. Equidem ab instanti conceptionis suæ Christus fuit vita, fons vite, et, ut ait ipsemet, *resurrectio et vita*; potuit, imò naturaliter debuit spiritualiter vivere; potuit et alios spiritualiter vivificare; at id actu, et in se, et in aliis præstitit in sua resurrectione. Tunc ergo propriè factus est spiritus vivificans, semetipsum spiritualiter vivificavit, multos suæ resurrectionis comites spiritualiter vivificavit, nos omnes in fine seculorum spiritualiter vivificabit. Tunc ergo spirituales erimus,

seu corpus à Christo habebimus spirituale; sicut nunc ab Adamo corpus habemus animale; et hoc probat Apostolus.

## Notanda ad intelligentiam.

Pro pleniori hujus loci intelligentiâ, et pro præveniendis et explicandis omnibus difficultatibus que ex utraque illius parte possunt oriri, notandum primò, cum D. Thomâ, quòd forma humana dicitur anima et spiritus. Anima, quatenus animat et vegetat, seu, ut ait D. Thomas, in quantum intendit curam corporis, vegetando, nutriendo, generando, spiritus dicitur, quatenus intendit cognitioni, intelligendo, volendo, et alia spiritualia operando. Positâ hæc distinctione, que in ipsis Scripturæ verbis fundatur, divus Paulus hoc Genes. loco subtiliter utitur ad suum intentum, scilicet ad ostendendum discrimen vitæ quam nunc habemus ab Adamo, et vitæ quam in resurrectione habebimus à Christo Domino. Adamus in sua creatione, seu per anime suæ infusionem, vivit ipse, at vitâ dependente à cibo, potu, somno, sicut animalia; que etiam in Genesi dicitur facta in animam viventem; et quia talis fuit Adæ vita, talis est et vita quam ab eo traximus. Christus autem Dominus in sua resurrectione, que est illius quasi gloriosa natiuitas, factus est in *spiritu vivificante*. Primò factus est spiritus, seu vitâ vivit spiritali, impassibili, immortalis, æternâ, etc.; secundò, factus est spiritus vivificans; hæc eandem vitam spiritualem aliis communicare cepit; et hæc eandem vitam spiritualem nobis in resurrectione communicabit. Hinc spirituales erimus, corpus habebimus à Christo spirituale, sicut nunc ab Adamo corpus habemus animale.

Notandum secundò quòd D. Paulus his Genes. verbis, ad suum intentum utens, et dicens de Adamo quòd factus est in *anima vivente*, seu animal vivens, non propterea negat quòd Adæ anima sit spiritalis, seu spiritus, et consequenter ab animalium animabus valde diversa, eisque longè superior; imò hoc supponit Apostolus, ut pote in eodem Genes. loco contentum; unde hæc verba desumit. Ibi enim Moyses de creatione anime Adami loquens, mirabili utitur metaphorâ, dicens: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vite*, ut indicaret eam non ex materiâ, sicut animas animalium, sed quasi ex divinis præcordiis eductam esse, et idèò divinam, spiritualem, et Deo similem.

De piscium creatione loquens Moyses, dixerat Genes. 1, 20: *Producant aquæ reptile animæ viventis*; de animalium creatione dixit quoque Deus: *Producat terra animam viventem in genere suo*, ibidem 24, his verbis manifestè ostendens quòd hæc animalium anime sint et materiâ eductæ: piscium scilicet ex aquis; animalium vero terrestrium è terrâ.

Atverò eum de hominis agit creatione, longè alter loquitur, Genes. 2, 7: *Formavit Deus hominem*, id est, corpus hominis, *de limo terre*: ecce corporis humani formationem per Dei manus; et *inspiravit in faciem ejus spiraculum vite*; ecce infusionem anime. Hanc Deus inspiravit, insufflavit, id est, non ex aquis, non è terrâ, non ex ullâ materiâ, sed ex suis præcordiis Deus eduxit. Quasi diceret: Divini cordia hallitus

est anima hominis, et ideò divina, Deo similis, spiritalis. Et hoc divus Paulus, Scripturarum peritissimus, supponit, imò asserit, cum alia verba his annexa citat: *Et factus est in animam viventem.*

Notandum tertio quòd divus Paulus asserens: de Christo quòd factus sit in spiritum vivificantem, non negat quòd in suo conceptu Christus animale corpus receperit, seu corpus animalium indigentis subditum; tunc enim sicut Adamus, de quo secundum carnem natus est, *factus est in animam viventem.* Sed de Christo resurgente debet intelligi divus Paulus, juxta quem Christi resurrectio est gloriosa illius nativitas, de qua ipsemet, Act. 15, 33, intelligit quod in psalm. 2: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* resuscitans Jesum, dixit: *Filius meus es tu,* Act. 15, 33. In hac ergo nativitate gloriosa Christus *factus est spiritus vivificans:* spiritus quidem, quia vitam duxit spiritualement, beatam et divinam, seu, ut alibi idem Apostolus ait: *Nunc vivit ex virtute Dei;* vivificans autem, quia hanc vitam spiritualement, beatam et divinam dedit sanctis resurrectionis suae comitibus, et hanc nobis vitam dabit aliquando.

VERS. 46. — *SEN NON PRIUS QUOD SPIRITALE...*, supple corpus, id est: Sed spirituale corpus non est in nobis prius tempore, sed corpus animale: hoc enim in illud convertetur. Sen prius habemus animale corpus, quale habuit Adam, imò et ipse Christus, suae vite mortalis tempore; postea verò, in resurrectione scilicet, spirituale corpus habebimus, quale nunc Christus habet. Ab imperfectioribus ad perfectiora fit progressus; sic prius facti sumus pueri quam viri.

VERS. 47. — *PRIMUS HOMO DE TERRA TERRENSUS;* Graec. *limaceus*, seu de limo. Alteram assignat nostrorum principiorum differentiam, et istius differentiae rationem congruitis: *Primus homo*, quia de terra factus, ideò terrenus et animalis; *SECUNDUS HOMO*, quia de caelo (etiam de sinu Patris, in Virginis sinu descendit), et quia origine celestis, ideò in sua resurrectione factus est planè celestis, gloriosus, et incorruptibilis. Equidem Christo, Filio Dei, conaturaliter corpus gloriosum, ab instanti conceptionis suae debetur; sed quia passurus veniebat, et nos suā passione redempturus, et quia aliunde haec corporis gloria cum passionibus erat impossibilis, ideò eam non admisi nisi in sua resurrectione, ubi factus est planè celestis, et omnino gloriosus.

VERS. 46, 47. — *Sed non prius quod spiritale est...* *Primus homo de terra*, etc. Christus dicitur celestis, id est, gloriosus et incorruptibilis, uti sunt corpora caelestia. Hanc celestem gloriam Christus in animā habuit reipsā a principio nativitatis et conceptionis suae. Sensus est: Secundus homo Christus Dominus, qui de caelo est, id est, divinum habens originem, utipote natus ex Deo; per resurrectionem factus est, etiam corpore celestis, id est, qualitates suae dignitatis congruentes etiam secundum corpus accepit, factus scilicet immortalis, impassibilis, et omni ex parte gloriosus.

VERS. 48. — *Qualis terrenus, tales et terreni;* sicut Adam ē terrā terrenus mortuus est, et in terram redi-

VERS. 48. — *QUALIS TERRENSUS, TALES ET TERRENI...*, id est, quale corpus habuit pater noster terrenus, tale et nobis, suis secundum carnem filiis, communicavit: hinc terreni sumus, animales, fragiles, mortales, etc.

ET *QUALIS COELESTIS, TALES ET COELESTES*, id est, et quale corpus habet noster celestis Pater, tale et nobis, suis secundum spiritum filiis, communicabit in resurrectione, corpus scilicet spirituale, celeste, immortale, impassibile, dignum prorsus habitaculo celestis. Corporis Christi gloria est exemplar futurae gloriae corporum nostrorum. *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Circa corpus Adami, nota quòd in statu innocentie erat quidem, ratione suae materiae, in terram resolvable et mortale; sed ob gratiam erat immortale; mori poterat ex natura, ex gratia non erat moriturum, a post peccatum mori debuit.

VERS. 49. — *ICITER SICUT PORTAVIMUS...* A littera transit ad moralitatem, et modum docet quo nos ad hanc cum Christo glorioso conformitatem preparamus. Ut ergo celestes, sicut Christus, efficiamur quemadmodum ante baptismum, nostris moribus improbis, Adamo terreno et peccatori similes fuimus, animales, terre affixi, peccatores, inobedientes; ita nunc in Christo renati, et ad ejus gloriae societatem vocati, sanctis moribus nostris, Christo Patri nostro celesti et divino similes simus, sancti, celestes et divini. Nunc ipsius imaginem in corde portemus, affectibus, moribus et operatione, ut illam aliquando portemus etiam in corpore. Et hic est hujus loci sensus, juxta nostram Vulgatam, qui juxta Graecam hodiernam paulò alius est; quia ubi legimus *portemus*, Graec. habet, *portabimus*; Syr. etiam in futuro, *induemus*; Theodoretus etiam, *portabimus*; praedicentis est, ait, non adhortantis, *portemus*. D. tamen Chrysostomus habet, *portemus*; Theophylactus utrumque. Juxta lectionem in futuro hic sensus est: Sicut habuimus corpus simile corpori Adami terreni, id est, corpus miseris et mortalitati obnoxium, ita et habebimus corpus simile corpori Adami celestis, gloriosum, spirituale, etc. Sive legas, *portabimus*, per modum praedicentis, sive, *portemus*, per modum adhortantis, in re parum refert; utrumque enim verum est. *Portabimus* enim aliquando, si modò portemus. Hoc ergo ut realiter eveniat nobis, nunc moraliter portemus imaginem Christi, in corde, in ore, in opere.

dit, ita et omnes terreni ab eo nati in terram redibunt. Et qualis celestis, tales et celestes; ut sicut Christus in terram facti sumus et per hoc et similes: ita quomodo gestabimus in nobis imaginem hominis celestis, scilicet Christi; quatenus et ipsi secundum corpora celestes erimus per beatam resurrectionem, proutque futuri quaedam illius imaginem. Ita Theodor., Theophyl. et Oecumen.

VERS. 49. — *Ititer, sicut portavimus imaginem terreni*, etc. Sensus: Et sicut gestavimus in nobis imaginem terreni Adami; quatenus etiam ipsi terreni facti sumus et per hoc et similes: ita quomodo gestabimus in nobis imaginem hominis celestis, scilicet Christi; quatenus et ipsi secundum corpora celestes erimus per beatam resurrectionem, proutque futuri quaedam illius imaginem. Ita Theodor., Theophyl. et Oecumen.

VERS. 50. — *HOC AUTEM DICO...* Hic versus, sicut et praecedens, et physicè et moraliter potest intelligi, et in utroque verus est.

Si moraliter sumatur, explicat praecedentem versum, juxta nostram Vulgatam intellectum: quasi diceret: De hoc non frustra vos moneo, scilicet ut in mente et in corde portemus imaginem nostri parentis spiritualis et celestis.

QUIA CARO ET SANGUIS, id est, opera carnis, homines carnales, carnis affectibus subdit, regnum Dei haereditate possidere non possunt. Caelo non potuerit, qui non desiderit secundum desideria carnis et sanguinis vivere.

NEQUE CORRUPTIO... Clarius adhuc explicat quid per carnem et sanguinem intellexerit, scilicet opera carnis, libidinem, etc. Quisquis ergo desiderat ad incorruptionis gloriam pervenire, festinet opera carnis deponere, et celestis hominis imaginem, sanctè vivendo, portare, ait D. Anselmus.

Si sumatur physicè, explicat praecedentem versum juxta Graecam hodiernam, et sicque sensus: *Caro et sanguis*, naturalis, corruptibilis, seu corpus animale et terrenum, quale nunc habemus ab Adamo, regnum Dei possidere non possunt; cum illo gloriae statu non conveniunt. *Neque corruptio...*, id est, caro animalis et corruptibilis, statum incorruptibilem et immortalem possidet. In caelo non erit animale corpus, sed spirituale, eo quo supra, v. 38 et 42, explicatum est sensu. Erit enim caro vera et eadem cum nostrā, eadem, inquam, quoad substantiam, sed in qualitatibus meliorata et multò perfectior, ut dictum est v. 44, et ut rursus dicitur v. 55.

VERS. 51. — *ECCE MYSTERIUM VOBIS DICO...* Post solutas philosophorum objectiones, Apostolus Corinthiis alloquitur, et eos, ut nihil hac in re lateat, docet modum quo fiet resurrectio. *Ecce*. Vult illos attentos, magnum quid et arcanum et haecenus inauditum, eis diciturus, *mysterium*.

OMNES QUIDEM RESURGEMUS (boni scilicet et mali), SED NON OMNES IMMUTABIMUR, ad gloriam, seu non omnes ex animalibus fietus spirituales (eo quo supra-

VERS. 50. — *Hoc autem dico, fratres;* hoc est, inquit, quod volo dicere.

*Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptilem possidebit.* Caro et sanguis accipiuntur pro homine mortali. *Caro et sanguis*, scilicet, naturalis et corruptibilis, qualis fuit terreni Adami, et quam habemus in hac vita, regnum Dei non possidebunt. Quod enim v. 46 et 47 Apostolus vocavit corpus animale et terrenum, hic vocat *carnem et sanguinem*. Tantum enim vult ostendere, in caelo non fore corpus animale et carnale, quale hic est: sed spirituale et celeste. Unde explicans subdit: *Neque corruptio*, id est, caro animalis et corruptibilis, *incorruptionem possidebit*. Ita Theod., Theoph., Ambros.

VERS. 51. — *Ecce mysterium vobis dico.* Hisce verbis Apostolus excitat attentionem legentium, atque insinuat se quid magnum, tremendum, secretum de resurrectione diciturum. Ita Theophylactus.

*Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, per gloriam scilicet.

VERS. 52. — *In momento.* Repentè resurgemus; Graecè, *in atomo*, id est, in indivisibili, uti est punctum

dictum est modo), sed tantum justi. Graecus hodiernus habet omnino contrarium: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*; Syrus etiam: *Non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur*. Hanc litteram sequuntur et explicant D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Et propter hunc textum, et propter verba Apostoli primè ad Thess., 4, v. 14, Graeci putant quòd non omnes justi morituri sint, sed quòd illi quos adventus Domini vivis deprehenderit, sint, nullà intercedente morte, induturi dotes gloriosi corporis, seu ex animalibus spirituales evasuri, ut ait Theophylactus, ex D. Chrysostomo. Hanc Graecorum opinionem sequitur Cajetanus, qui putat hoc esse magnum mysterium, quod Apostolus hic docet: *Non dormiemus omnes, sed omnes tamen immutabimur*. Sequitur et Erasmus, imò Estius veriorè putat et sèpe probat, ut auctor apostolice scopo convenientiore.

Hic igitur opinio propter autorem gravitatem, nec erroris, nec temeritatis notari potest. Opposita tamen, quae censet omnes morituros et resurrecturos, est probabilior, certior et aptius coherens generalibus D. Pauli locutionibus, ad Heb. 9: *Statim est hominibus sententia mori*; hic, v. 12: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, etc. Vide dicta cap. 4 primè ad Thess., v. 16.

Omnes ergo morientur, et omnes resurgent. VERS. 52. — *IN MOMENTO.* Explicat ergo mirabilem resurrectionis modum: ad tantum opus, scilicet, ad omnes prorsus homines, qui usquam fuerint, suscitandos, non longa requiritur temporis mora; sed in momento; Graec., *in atomo*, id est, in indivisibili temporis puncto perficietur omnium omnino hominum resurrectio.

IN ICTU OCULI; Syr.: *Quasi in ictu oculi*; Arab.: *In nictatione oculi*, seu motu, seu citius quam fiat ictus oculi, summā celeritate; ad ostendendum Dei omnipotentiam contra eos quibus supra, v. 55, impossibilis videbatur mortuorum resurrectio, Ambrosius et post eum Anselmus.

Et hoc arcanum puto quod Corinthiis hic docet

temporis, et ictus sive nictus oculi, ut sequitur. *Atomus* (inquit S. Hieronym.) est punctum temporis quod secari et dividi non potest.

In ictu oculi. Haec duo, in momento et in ictu oculi, Paulo summam celeritatem significant, hoc est, instantaneam. Sunt autem referenda ad verbum *immutabimur*, ut sensus sit, illam immutationem omnium electorum in statu incorruptibili, non exigere moram temporis, quae fiat ac perficiatur, prout posse fieri, ut peragatur in puncto temporis, id est, in instanti.

In notissimā tubā. Dicitur tuba haec novissima respectu omnium praecedentium: emanante ultimā tubā, quam 1 Thessal. 4 vocat tubam Dei, et vocem archangelī, de qua etiam Dominus, Matt. 24: *Et mittet (Filius hominis) angelos suos cum tubā et voce magnā.* Et Joan. 5: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.*

Et mortui resurgent incorrupti; eos qui mortui erunt et in Christo dormientes, ad sonitum tubae suscitandos ac resurrecturos esse incorruptibiles, hoc est, immortales et impassibiles. Nam significatur incorruptio perfecta, quam dotem impassibilitatis appellat

Apostolus, sicut et idem docuit Thessalonicenses. Vide ibi dicta cap. 4. primæ Epist., v. 14. Ipse D. Chrysostomus. Hoc putat esse Arcanum quod docet hic Apostolus. Idem dicit et Theophylactus, licet sentiant non omnes esse mortuos.

IN NOVISSIMA TUBA, id est, ad clangorem tubæ, quæ dabitur ultimum signum. Solebant Judei tuba populum convocare. Vide Num. 10, v. 27.

CANET ENIM TUBA, id est, personabit tuba extremi iudicii prænnuntiat, sive sit vera et realis tuba, sive sit vox archangelici sonora, potens et efficacis, de quæ in Epist. ad Thess. 4, v. 15.

ET MORTUI... tunc mortui omnes, etiam reprobi, resurgent immortales, ad corruptionis statum nunquam reversuri. Etiam reprobi resurgent incorrupti integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore poenarum, ait Anselmus post D. Aug., Epist. 146. Totum quod pertinet ad ordinem nature, conferetur etiam reprobis, D. Thomas.

ET NOS... , justi scilicet; exponit quod dixit: *Non omnes immutabimur*, sed nos justi tantum ad felicem statum reformabimur, ex animalibus fiemus spirituales. Secundum Græcos, et nos justi, qui tunc vivemus, in dotes gloriosas, sine morte, transformabimur. Non dicit de seipso, sed de iis qui inveniantur vivi, D. Chrysostomus.

Sed cur hoc in primâ personâ sæpè dicit, vide ad Thess. cap. 4, v. 15, ut nos exemplo suo doceat de incertâ et terribili die iudicii cogitare, loqui, tremere, et ad illam nos continuè preparare.

VERS. 53. — OPORTET ENIM CORRUPTIBILE HOC... Oportet, quia Deus decrevit, *corruptibile hoc*, manu palpans et nutu indicans corpus suum. Hoc idem numero corpus, carnem et corruptioni nec obnoxium. corpus idem manet, mortalitas autem et corruptio aboletur et evanescit, Theophylactus.

INDUERE, tanquam vestem pretiosam, INCORRUPTIONEM, seu incorruptibilitatem, quæ morbum, dolorem et mortem prorsus excludat.

ET MORTALE HOC... , hoc idem numero corpus, ob peccatum morti obnoxium, INDUERE IMMORTALITATEM. Erit eadem caro, nunc mortalis, tunc immortalis, sicut idem est corpus vestitum, non vestitum.

VERS. 54. — CUM AUTEM MORTALE HOC... Cum igitur hoc corpus factum fuerit, ex mortali et corruptibili, immortale et incorruptibile.

TUNC FIET, id est, tunc adimplebitur Scriptura, quæ dicit: *ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA*. Aliqui vo-

theologi, id est, quæ omnem offensivam passionem excludat.

VERS. 55. — OPORTET ENIM CORRUPTIBILE HOC INDUERE INCORRUPTIONEM, etc. Pronomen hoc idem individuum corpus demonstrat.

VERS. 54. — *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est. Tunc, et eo ipso, fiet, implebitur hæc Scriptura: Absorpta est mors in victoria. Hæc sumpta est non ad verbum, sed quoad sensum ex Osæ 13, ubi dicitur: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Hoc enim in re idem est cum eo quod hic ait Apostolus: Absorpta est mors in victoria.*

lunt hoc ex Isaia 25, 8, sumi, ubi D. Hieronymus vertit, *præcipiabit mortem*. Alii volunt ex Osæ, non ad verbum, sed ad sensum, cap. 13, 14: *De manu mortis liberabo eos*, etc.; quod, inquit, idem est. Vide Cornel. à Lapide. *Absorpta est*, absorpta in totum et in æternum destructa; siquæ nihil ab eî mendum erit sanctis, in victoria, id est, per victoriam, quæ superata est à Christo.

Christus à mortis resurgens vicit mortem; idem Christus sanctos suos in fine mundi suscitans à morte, mortem absorbet in æternum, illam quæ nihilum rediget (nuscquam comparebit, sicut aqua cum absorpta fuerit, ait D. Anselmus).

VERS. 55. — *UBI EST, MORS, VICTORIA...?* Propheta et post eum Apostolus, in personâ iustorum triumphum canit de morte et inferno, seu de statu mortuorum. Tanquam Deo sacrificans pro victoriâ, ait D. Chrysostomus, et Deo allatus, et futura videns quasi jam facta, jacenti morti insultat. *Ubi est, mors, victoria tua?* Victoria tua, quæ absorberas corpora mortientium, temporalis fuit; victoria nostra, quæ absorpta es in corporibus resurgentium, æterna constabit, D. Anselmus.

UBI EST, MORS, STIMULUS TUUS? Aculeus, quo solebas homines confodere, perit, confRACTUS EST.

VERS. 56. — *STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST.* Osæ dictum explicat evangelico sensu. *Stimulus mortis*, quo nos confodit, peccatum est; sicut scorpius, mors in aculeo robur habet, Theophylactus. Peccatum est stimulus mortis; et consequenter illâ gravatus, et ea in ipso vim habet, D. Chrysostomus. Aculeus autem mortis dicitur, quo mors facta est, non quem mors fecit; peccato enim moritur, non morte peccamus. Aculeus mortis est peccatum originale, per cuius vulnus mors intravit, divus Anselmus.

VIRTUS VERÒ PECCATI LEX, id est, potentia, vis, robur peccati lex, quia per occasionem legis, peccatum vetantis, revixit et vires accepit peccatum.

*Nititur in vitium.*

Deinde *virtus peccati lex*, quia peccatum eo gravius est, quò magis patet peccanti voluntas Dei peccatum vetantis; patet autem clarissimè per legem voluntas Dei. Sicut lex contulit ad cognoscendum peccatum, ita etiam ad augendum supplicium, D. Chrysostomus. Majus et fortius est peccatum per scientiam, D. Ambrosius, seu, ut creditur, Hilarius Diaconus. Ante legem peccatores erant homines, post legem prævaricatores, id est, gravius peccaverunt, scilicet contra

VERS. 55. — *Ubi est, mors, victoria tua?* etc. Citat Paulus Osæ cap. 13, ubi noster verit: *Ero mors tua, ô Mors; morsus tuus ero, inferne*. Sensus est: *Ubi est, Mors, victoria et stimulus tuus*, quo soles homines occidere eisque dominari? Q. d.: Perit, confRACTUS est à Christo, qui est mors tua, ô mors, et morsu suo te, ô inferne, dirupit et absorpsit.

VERS. 56. — *Stimulus autem mortis peccatum est.* Stimulus, per quem scilicet mors nobis præcipit nocet et pungit. Sicut enim scorpius licet parvus sit, per aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit, ait Theophyl., quæ sine peccato nihil poterat.

*Virtus verò peccati lex;* q. d.: Peccatum maximè

legem ostendentem et damnantem peccatum, ut docet D. Aug., serm. 45 de Tempore. Si autem dùm vellet prohibere, id reddidit gravius, non est culpa in remediis conferenda, sed in eum qui malè usus est medicamento, divus Chrysostomus.

VERS. 57. — *DEO AUTEM GRATIAS...* agamus, qui nobis dedit gratis et liberaliter vincere peccatum, et consequenter mortem, quæ est poena peccati.

PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, id est, per merita Domini nostri Jesu Christi, à quo nobis omnis gratia, quæ peccatum vincimus. Sed Deo gratias agimus, qui dedit nobis victoriam de morte et aculeo ejus, ut vinceremus mortem per immortalem resurrectionem; et aculeum ejus, peccatum, per gratuitam justificationem. *Per Jesum Christum Dominum nostrum*, per quem mediatorem omnia bona quæ habemus, dantur nobis à Patre, S. Anselmus.

VERS. 58. — *ITAQUE, FRATRES MELI...* hortando concludit: Cùm sciatis quòd resurrectio futura sit, et consequenter merces honorum et malorum; deinceps ESTOTE STABILES IN FIDE RESURRECTIONIS, ET IMMOBILES, ita ut nemo vos de hoc statu fidei et spei future dimo-

viros exerit per legem, id est, per occasionem legis vetantis; semper enim nitimur in vitium, cupimusque negata. Ita Theol., Theophyl., Ambros., Anselm.

VERS. 57. — *Deo autem gratias agimus, qui dedit nobis victoriam* (de peccato et morte) *per Dominum nostrum Jesum Christum*. Mors autem non destruitur nisi vita reddatur, et quidem perpetua: quod non contigit nisi per resurrectionem iustis promissam.

VERS. 58. — *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiliés*, in fide scilicet resurrectionis, ut abundetis in operibus bonis, quæ Domino Deo placeant, ad vos excitando per spem resurrectionis et præmiæ æternæ; scientes quòd labor vester non erit inanis, nec mercedis expertus apud Dominum. Hoc enim est in Domino.

#### Corollarium est resurrectio mortuorum.

*Credo quòd Redemptor meus vivit*, à mortuis surrexit, vivit, sedet, regnat beatus ad dexteram Dei, v. 5, 4, 5, etc. Credo quòd Redemptor meus, Spiritus vivificans, resurrectio ipsa, vita et fons vitæ, me vivificabit mortuum; à mortuis surrecturus sum, in æternum spiritaliter victurus, v. 12, 20, 25, 24. Credo quòd in hæc carne meâ vivificatus, sed et spiritalis, impassibilis, immortalis, clarus, agilis, subtilis factus, videbo Deum, Salvatorem meum, beatum, hæres Dei, coheres Christi, v. 28, 42, 45, 41, 55. Hoc credens, hocque sperans, gemo, desidero, expecto, memetipsam preparare volo. Gemo, ob hujus vite miseras, ob hujus animalis et mortalis corporis aggravationes. *Quis me liberabit à corpore*

#### CAPUT XVI.

1. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.

2. Per unam sabbati uniusquique vestram apud se seponat, recordens quid ei benè placuerit; ut non cum venero, tunc collecte fiant.

3. Cùm autem presens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem.

S. S. XXIV.

vere possit. *Stabiles et immobiliés* dicit, ut per hæc repetitionem firmitatis et constantiæ necessitatem ostendat, quasi diceret: Ne tantisper in hæc fide vacilletis. Fides resurrectionis est ædificii christiani fundamentum; hoc fundamentum vacillante, nutat ædificium.

ABUNDANTES... , SYR.: *Sed estote semper progredientes*, in opere Domini, id est, in bonis et sanctis operibus, quibus vos ad resurrectionem preparatis.

SCIENTES... , cùm per fidem sciatis laborem vestrum non fore vobis inane et à mercede vacuum, sed magnam vobis fore mercedem in Domino. Etenim resurgemus et in æternum vivemus beati in Domino et cum Domino; hæres Dei, coheredes Christi; immensis Dei bonis fruamur in æternum. Hanc itaque mercedem possumus et debemus intueri, quâ nos ad laborem animemus. Si labor terret, merces invitet, ait divus Bernardus.

Nota cum D. Chrysostomus, non tantùm bona operantes, sed libenter et abundanter et quidem semper, quod fiet, si omnia in charitate fiant.

*Abundantes in opere Domini semper*. Bona opera vocat *opus Domini*, vel quia Dominus ea diligit et exigit à nobis, ut exponit Theophylactus, aspirante Hervæo, qui interpretatur *opus mandatorum Domini*: vel quia Dominus ea in nobis operatur. *Deus est enim*, ait idem Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et perficere*, Philip. 2. Generaliter intelligi potest opus Domini, quocumque fit ad Christum Domini gloriam et honorem: quale esse debet omne opus hominis christiani.

*Scientes quòd labor vester non est inanis in Domino*, hoc est, certissime perstatis, quòd opera vestra bona non erunt à mercede vacua apud Dominum. *Laborum* vocat opera bona, quod non sine labore et molestiâ fiat, labor vester propter Dominum susceptus non erit frustraneus. Ita Cæcumenius.

#### CHAPITRE XVI.

1. Quant aux annuées qu'on recueille pour les saints, faites la même chose que j'ai ordonnée aux églises de Galatie.

2. Que chacun de vous mette quelque chose à part chez soi le premier jour de la semaine, l'amassant peu à peu selon sa bonne volonté, afin qu'on n'ait de pas à mon arrivée à recueillir les annuées.

5. Et lorsque je serai arrivé, j'enverrai, avec des lettres de recommandation, ceux que vous aurez jugés propres pour porter vos charités à Jérusalem.

#### CHAPITRE XVI.

1. Quant aux annuées qu'on recueille pour les saints, faites la même chose que j'ai ordonnée aux églises de Galatie.

2. Que chacun de vous mette quelque chose à part chez soi le premier jour de la semaine, l'amassant peu à peu selon sa bonne volonté, afin qu'on n'ait de pas à mon arrivée à recueillir les annuées.

5. Et lorsque je serai arrivé, j'enverrai, avec des lettres de recommandation, ceux que vous aurez jugés propres pour porter vos charités à Jérusalem.

(Vingt-deux.)